

FRANCISCI  
GVILLIMANNI  
ODARVM, SIVE HYM-  
norum Natalitiorum  
Libri duo.

AD  
NOBILISSIMUM,  
ET PRAECELLENTISSIMUM  
D. ALPHONSUM CASATVM, regij  
quondam magni Thesaurarij apud Insubres  
F. PHILIPPI II. Catholici,  
apud Helvetios le-  
gatum.



Brunntruti,  
Apud IOANNEM FABRVM.  
M. D. XCV.

*Es Joannis Jacobi Vom Staal  
ex dono auctoris.*

Tempus erit, tibi cum fortior artibus  
 Florebit aetas, praeda ubi, triplici  
 Ab hoste, opima, regna victor  
 Aequigeni repetes parentis.  
 O mihi si liceat parte aliqua tuos  
 Inter gregales, vel procul, aureos  
 Currus sequi, hostili & venena  
 Tela manu quaterere inquinata.  
 Euge faue, a teneris, quamq; vicem subis,  
 Memorq; quorum, iam DEVS, & Pater,  
 Vindexq; consuesce invocari,  
 Annuere & miserum querellis.

---

## AD PASTORES.

### Ode III.

**M**ontium custos, nemorumq; turba,  
 Aevi propages nobilis,  
 Mundi reliquia beatioris.  
 Namq; sic Prisci coluere Patres,  
 Vatesq; Diuum interpretes,  
 Cum Fas, atq; Fides, & alma nondum  
 Castitas, mores hominum impiatos  
 Terris perosa degerent.  
 Aeterni immemores, patriq; Olympi.  
 Vna tunc Diuos, hominesq; fertur,  
 Arbor recepse frondibus:  
 Cum latis epulas daret labore

Terra quasitas operosa nullo;  
 Cum lacte, cum melligine,  
 Fœcundi fluerent perennè riui:  
 Ecquis hic vestras inopinus aures  
 Diuerberauit nuncius,  
 Exsultans liquidi per orbis oras?  
 Nuncius, pernice vagus chorea,  
 Non absq; crebris plausibus.  
 O NOX splendidior meridiana  
 Luce, NOX, horroriferis tenebris  
 Vna absq; NOX, fauentibus  
 Astris, terrigenis amica, salue.  
 Quis tuas sumet memorare laudes,  
 Tuosq; honores quis canet?  
 Doctus neçtere verba lecta lectis,  
 Tendere aut gressu melior pedestri?  
 Quæ tanta, totve gaudia,  
 Tandem concilias tuo subortu?  
 Tune promissum toties beato  
 Vatum, & Ducum collegio,  
 Summi Progeniem parētis offers?  
 Docta subiectas variare sedes,  
 Celsis Olympi molibus,  
 Et miscere homines choris Deorū?  
 Nataq; vultus placidis seueros  
 Mutare, pœnas premiis,  
 Tristium

*Tristium & faciem nouare rerum?*

*Noctium summum decus, ô laborum*

*Gratum leuamen! hinc dies,*

*Et noctes melius subire pergent.*

*Surgite, ô cari pecorum Magistri,*

*Quà cantus, & flammæ monent,*

*Breuem continuò viam vorate.*

*Visite ad Matrem, tenerumq; natum,*

*Non absq; sed munusculis.*

*Pastores vocat, ipse nempe pastor*

*Summus, ad sanctas homines Olympi*

*Ducturus oras, nectaris,*

*Dulcisq; ambrosiæ fauis referctas.*

*Vestra laus crescet, simul & puelli.*

*Nullusq; delebit dies,*

*Vestra nomina, nomen & puelli.*

## AD CHRISTVM.

### Ode III.

**A**GE, plectrum cape dextra,

**N**ouum melos concinamus,

*Fritinnientibus modis,*

*Virginis puello.*

*Prius at quid cani amabis*

*Quid postve, dulcis puelle?*